
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani

Henrici Nicolai

D. O. M. A.

Miscellaneorum

DECADIS I.

EXERCITATIO V.

DE

POTENTIA

in rebus

ΣΚΕΨΙΣ POSTERIOR.

Divisivam & affectivam potentiæ considerationem exhibens.

Ad disputatorium exercitium in Gymnasio Gedanensi proposita.

Præside

HENRICO NICOLAI

Philos. Mag. & ejusdem Professore Ordinario

Respondentis partes obtinente

HENRICO BIERMANNO

Dantiscano Borusso.

Ad diem 31. Octob. S. N.

In Auditorio Philosophico

Horis ab 7. matutinis.

Gedani. Typographo GEORGIO RHETIO exscripta. ANNO 1635.

I.

CAutium quarundam in ingentes tumores surgentium elationes laborioso molimine ita enixa est natura, ut rupes velut rupi imposita, diffusum molis efficiat fastigium, ut ascensuro labor enitendi crescat in labore, & fatigata membra propositum evadendi in verticem ad ultimum destituat. Quomodo montem Serratum in Hispaniâ succedentibus magnæ altitudinis ac velut naturali scabitudine asperis rupibus constare refert Lanſ. Or. c. Hiſp. pag. 498. *Atq; ubi in verticem montis magno labore te evasisse putes, illicò se offerat aspretum multò eminentius: Quod ubi etiam ligneis gradibus superaveris, crescere interim rupis altitudo ipso ascensu videatur. Haud absimilis est ratio, quam in abstrusarum rerum conditione advertimus. Difficultas hic difficultati velut rupes rupi annexa, & nodus consertus nodo, ut inter Archimedea problemata & Ceratinas quæstiones versari necessum credas. Cum uno nodo soluto expediisse te putes ab Gordianis & Cassioticis astrigmentis, succedit alter multò implicatior, & ad dissolvendum impeditior. Ex quibus deniq; haud magis totum te explices, quàm Anteus ille ex Herculis nexibus, qui tandem oppressit. Atq; ita cum eâ, quam tractandam suscepimus, materiâ se rem habere ratio materiæ facilè docet. Expedivimus præcedente discussione difficultates, quas circa* definitionem *potentiæ non exiguas necti vidimus. Succedunt jam novæ,* diviſioni & affectioni *potentiæ circumfusæ. Quas si prioribus non majores, pares tamen non abs re creditas, hac disceptatione, quantum fieri potest, expeditas dare & complanare cum DEO annitemur.*

 2. Po-

2. Potentiæ divisiones priusquam in specie deducantur, quærenda sunt duo. 1. Qualesnam hæ sint divisiones? *An generis in species, an totorum in partes? R. Non sunt hæ divisiones* vocis in sua significata, *aut significandi modos, quos deduximus priori* disp. t. 4. Nec generis *in species: non enim potentia est genus ad inferiora sua ut species, nam in transcendentalibus, quale & terminus potentiæ est, compositio generum & specierum Logica exulat, quæ in rebus prædicamentalibus tantùm invenitur:* Nec totorum *in partes: non enim potentia objectiva, obœdientialis, activa, passiva, &c. sunt potentiæ vel partes essentiales, ut materia & forma; vel integrales, ex quarum aggregatione resultet potentia ut totum integrum, non enim est ea totum materiale, quod partes materiæ habeat, quomodo in materialibus solemus famosè partes integrales ponere:* Nec est subjecti *in accidentia: non enim potentiæ natura re ipsâ esse potest, etsi sub nullâ velut specie potentiæ sit: quomodo hominis essentia reverâ poni potest, etiamsi homo nec dives sit, nec pauper: Sed necessariò omnis potentia, quæ reverâ ponitur, vel activa vel passiva, vel naturalis, vel obœdientialis, vel simile inferius est: Sed est* divisio rei, vel entis cujusdam, *quod vocamus potentiam, in inferiores & contractiores essendi modos, quibus generalius determinatur in specialius, latius in contractius, restringendum sit restrictius, determinandum determinatius, & sic consequenter. Quomodo Ens dividimus in causam & causatum. Et deinde illum essendi modum, qui causa dicitur, specialiùs determinamus in suos inferiores modos, in quibus subsistit, efficientem, finem, materiam & formam.* 2. Quotuplices sint hæ divisiones? *Variæ in universum esse possunt. Sed totalem latitudinem earum exhauriendo,* quædam generales *dici possunt, quæ exhauriant totam amplitudinem Entis in universâ abstractione finiti & infiniti, creati & incre-*

increati, dependentis & independentis sumpti, adeoq́ competant & Enti creato & increato, & ad utrumq́ indifferenter se habeant: Quædam speciales, *quæ ad alterutrum horum Entium sint determinatæ, ut vel creato vel increato separatim tribuantur. Vt sunt potentiæ prædicamentales, omnipotentia, &c. Præmittemus generaliores specialibus, ut methodus Logica jubet, & materiæ clariùs tractandæ ratio requirit.*

3. I. Potentia est vel transcendentalis vel prædicamentalis. Transcendentalis *est, quæ generaliter omni Enti etiam non prædicamentali competit.* Prædicamentalis *est, quæ Enti creato & prædicamentali. De hac divisione notanda* 1. utriusq́; membri necessitas. *Prædicamentalem potentiam dari in confesso est, & patet exemplo rerum naturalium, variis agendi recipiendivè potentiis instructarum. Ita herbæ, mineralia, animalia, habent suas agendi virtutes.* Transcendentalis *an detur, quæsiti est.* Zabarell. *negat* l.1.d. mat. pri. c. 9. *omnemq́ potentiam tàm agendi, quàm patiendi esse in Categoriâ Qualitatis in secundâ specie putat. Sed rectius contrarium statuitur.* 1. Potentia *materiæ primæ recipiendi omnes formas, si est qualitas distincta re ab essentiâ materiæ, E. materia erit Ens per accidens, nam subjectum & adjunctum faciunt Ens per accidens. At quod simplicissimum est aliorum principium, Ens per accidens esse non potest.* 2. *Si* Potentia *materiæ est potentia prædicamentalis in qualitate, cum talis qualitas manet à formâ, jam materia habebit formam, à quâ ista qualitas fluat. Si habet formam, jam est composita. Nam quod constat materiâ & formâ, est compositum. Ita principium erit principiatum, causa causatum, constituens constitutum, simplex compositum, nam materia unita formæ fit ipsum compositum. At hæc sunt absurdissima. E. potentia materiæ universalis non est prædicamentalis, re distincta à naturâ materiæ, sed transcendentalis: quà rem, ipsum*

subjectum, ratione & modo ab eo diversa. Quod discrimen hic sufficit, ut rectè contra Zabar. & Averroëm *disputant* Ragusejus dis. Perip. 4. c. 4. 17. 20. Prætor. s. 15. Can. Met. p. 1. §. 2. 3. Potentia *divina est potentia, sed non prædicamentalis, non enim est accidens inhærens, re diversum ab essentiâ Dei, sed ipsa divina essentia.* V. d. 4. t. 9. 10. *Ergò transcendentalis. E. datur præter prædicamentalem potentiam & transcendentalis.* 2. Membrorum totalitas & diversitas. *Nulla datur potentia, quæ non vel prædicamentalis sit, vel transcendentalis. E. divisio sufficiens. Deinde nunquam transcendentalis quà talis, fit prædicamentalis & contrà. Et sic membra satis opposita. Quà alterum membrum desinit esse alterum, ita in alterius naturam transire potest. Sic potentia materiæ universalis, quæ transcendens erat, in composito potentia prædicamentalis recipiendi aliquid fieri potest. Sed illa desiit tùm esse transcendentalis.* Con. Raguf: c. l. c. 2. *Ita Ens, quod simplex & transcendens quid erat, in composito fit Ens prædicamentale, ut substantia, homo, brutum, longum, latum, pater, album, &c.*

4. II. Pot est vel activa vel passiva. Activa *est vis ad agendum.* Passiva *ad recipiendum. De divisione nota* 1. Generalitatem. *Non tantùm est potentiæ prædicamentalis, ut ad eam restringere volunt* Suaret. d. 43. Met. præf. & s. 1. n. 1. Zabar. c. l. Timpler. l. 5. Meta. c. 3. *Sed & transcendentalis, nam & Deo competit potentia activa, & materiæ primæ passiva, quæ tamen non sunt qualitates prædicamentales.* V. t. 3. 2. Totalitatem. *Nulla datur media, mista vel neutra potentia, & sic divisio sufficiens est.* Objectiva *potentia, quæ interseri solet, respectu agentis est pot: activa, respectu recipientis vel producendi passiva. Nec Scotus eam re ab activâ aut passivâ diversam statuit. Quo de legi potest* Ragusejus dis. 3. c. 10. *Etsi à Zabarellâ id ei tribuatur* l. 2. d.

mat.

mat. pri. c. 2. Impotentia negativè *sumpta, id est, potentiæ carentia, planè non est potentia, & sic nec ad activam nec ad passivam reducenda: nam quod non est sub genere vel quasi genere, nec ad ullam speciem est reducendum:* privativè *sumpta, i.e. potentiæ deficientia, est vel agendi vel admittendi potentia, sed debilis & imbecillis.* Potentia resistiva privativè *& formaliter est negatio receptionis ab agente, & sic ad species potentiæ non pertinet: non enim est vera potentia; sed impotentia quædam & incapacitas recipiendi actionem, proveniens à dispositione, informatione, qualitate aliquâ vel materiâ subjecti, non peculiari activitate, ob quam singulari potentiâ in subjecto opus sit, quæ resistiva dicenda, & media inter activam & passivam collocanda. Vt rectè* Suarez. d. 43. Meta. s. 1. n. 9. 10. Dn. Scheibl. c. l. n. 46. positivè *est ipsa potentia activa oppugnans aliud.* 3. Membrorum diversitatem. *Potentia activa differt* interdum re *à passivâ, ut in actionibus transeuntibus, ubi potentiæ sunt proxima actionum principia, ut illuminatio, eruditio, dealbatio: potentiæ recipiendi hic sunt in aliis subjectis, ut aëre, discipulo, pariete:* Interdum ratione, *ut in actionibus immanentibus, ut intellectio, visio, auditio. Potentia agens, i.e. exerens operationem, simul est patiens, recipiendo objectum. Sic visus & agit, eliciendo visionem, & patitur, recipiendo visibile. Diversæ tamen hic semper sunt habitudines, formalitates, munera & fines utriusq; potentiæ, & sic per eas sufficienter distinguuntur. Vt materia & forma diversa principia statuuntur, quia una est per modum agentis principii, altera patientis: Sic & potentia activa & passiva: Vna est principium passivum, altera formale.* 4. Membrorum correlationem. *Potentiæ activæ semper respondet aliqua passiva, & vicissim. Nam agens requirit patiens, & ubi actio, ibi actionis receptio, & sic pot: passiva, Si ignis urit, ergò aliquid uritur. Si est*

verbe-

verberans, E. aliquid verberatur. Excipe 1. actionem *Dei agentis in seipsum, sic cum intelligit se ipsum. Hic nullâ potentiâ recipiendi opus, sed objecto saltem, ad quod terminetur ista actio. Hoc sufficit ob summam essentiæ divinæ simplicitatem.* 2. Potentiam pasivam *latissimè sume, ut comprehendat* 1. & objectivam *& obædientialem, etiam non entium, & futurorum. Sic virtuti creandi in Deo respondet potentia pasiva non rei, quæ sit, sed quæ creando fieri posit, & sic existentiam creatione recipere:* & 2. Pot: receptivam *vel subjecti diversi, ut in actionibus transeuntibus, ut dealbatio, verberatio: vel ejusdem, ut in immanentibus. Hic potentia receptiva est in ipsâ activâ. Sic in visione, intellectione.*

§. III. Potentia activa est vel infinita, vel finita. Infinita, *est quæ est Entis infiniti, & ad omnia factibilia se extendit, ut solius Dei.* Finita, *quæ Entis finiti & ad quædam factibilia extenditur, ut angelorum, hominum. De hac divisione notanda* 1. Immediatio. *Nulla datur potentia media inter finitam & infinitam. Potentia enim sequitur essentiam. At Ens immediatè est vel finitum vel infinitum, nullum tertium, aut medium, vel mistum ex utroque, vel neutrum ex utroq; participans. Vnde frigidum est effugium in loco de personâ Christi, si potestatem Chri: homini datam nec merè infinitam nec merè finitam, sed mediam quandam, quæ Mediatoria vocetur, esse dicas. Prout quosdam è Calvinianis, Vt* Iac. ad Portum in defens. contra Ostorodum & Martinium *eò inclinare ostendit* Cl. Theologus D. Mentzerus T. 6. Gies: d. 15. t. 76. d. 18. t. 199. 211. 215. *&* resp. ad object. Mart. p. 476. *Quanquam multum hac in re tricari solent. Modò infinitam fatentur, sed divinitati tribuunt: modò finitam, sed humanitati: Modò mediam & personæ mediatoris datam ajunt, unde mediatoria, œconomica & dispensativa vocetur: Modò mediam inter divinam, huma-*

humanam ac angelicam, absolutè tamen finitam, ut de Martinio ostendit D. Mentz. d 15. c. l. t. 76. 88. *modò omnipotentiam respectu nostri, non in se, ut* Alsted. p. 5. Th. pol. clas. 3. q. 9. *κατὰ τι, non ἁπλῶς, ut* Zanch. l. 2. d. incarn. q. 11. th. 2. *Modò omnipotentiam datam humanitati non in se, sed in supposito, i. e. esse humanitatem suppositi omnipotentis, ut* Orthod. consens. c. 6. Zanch. c. l. q. 12. *Modò dona in immensum locupletiora, quàm in omnibus angelis & hominibus ei communicata esse, ut* adm. Neostad. p. 65. 82. *De quibus effugiis sæpè sese evertentibus prolixiùs alibi. Id firmum manet, inter pot: infinitam & finitam nullam dari mediam, vel mistam vel neutram. Ens enim finitum & infinitum nullum agnoscit medium, sic nec potentia, comes Entis cujusquè. Respondet enim ita divisio quà sensum illi, quà Ens in se & ab alio, dependens & indepednens, creatum & increatum, necessarium & contingens, Ens per essentiam & participationem, primum & à primo ortum, dividitur, ut rectè* Timp. l. 2. Met: c. 4. q. 2. *Et sic immediationem divisionis rei in finitam & infinitam largiuntur* Timpl. c. l. Goclen. in h. l. Alsted. Combach. *Aliiq́. Quidquid sit de rebus non quantis, punctis, relationibus divinis, aliisquè, quæ immediationi divisionis obvertunt alii, de quibus per occasionem in discursu videbitur.*

6. 2. Potentiæ infinitæ ratio. *Vbi videnda* 1. potentiæ *hujus à voluntate, intellectu divino, & sufficientiâ* diversitas. *Hæc non realis: non enim potentia Dei est proximum & immediatum principium actionis: voluntas remotum, mediatum: sufficientia fundamentale & radicale, quomodo est in substantiis creatis: Sic enim in Deo esset compositio attributi & attributi in se, quæ simplicitati Dei omnimodæ repugnat; Omnia enim in divinis sunt idem, inter quæ non est oppositio relativa. Sic Deus dicitur mandando*

facere. Psal. 148. v. 5. *Et quidquid vult, agere.* Psal. 115. v. 3. Psal. 135. v. 6. *voluntate creare, & esse rebus dare.* Apoc. 4 v. 11. *quicquid dicit, fieri.* Ps. 33. v. 9. *At dicere, mandare, velle, jubere, sunt actus intellectus & voluntatis:* nec ut attributi & *attributi in & per se distincti: Quasi voluntas Dei egeret alio attributo distincto, per quod efficaciter exequeretur id, quod vellet: Nam voluntas Dei per se est efficacissima, & per se exequi potest destinata sua, secus multum imperfectionis Deo inferretur:* Sed rationis ratiocinatæ, *quâ in nostro conceptu unum distinctè concipitur tanquam attributum ab alio diversum, attendendo distincta* formalia, objecta, agendi modos & ordinem, opposita, & analogias humanas. *Quomodo de essentiâ & potentiâ divinâ dictum* dis. 4. t. 12. Formalia: *Sic voluntas formaliter concipitur, ut attributum imperans & decernens: intellectus ut dirigens & proponens, potentia ut exequens. Voluntas absolutè spectatur ut amplectens: potentia cum respectu principij efficacis ad producendum. Voluntas ut causa impulsiva ad producendum: potentia ut causa immediatè effectiva.*

7. Objecta: *1. Objectum voluntatis certo respectu est latius objecto potentiæ, extendit enim se ad* bonum & increatum, *Ita pater amore amplectitur filium, & uterq; Spiritum S. At amore amplecti est actus voluntatis:* & creatum, *Ita Deus benè vult creatis rebus.* Sap. 11. v. 25. *At potentia, quomodo jam de eâ loquimur, & ordinariè eam in rebus ad extra dicimus, unde Deum omnipotentem vocamus, ut posse creare, liberare, gubernare, annihilare, &c. ad bonum* tantùm creatum *respicit, ut posse creare, annihilare. Nec enim jam de illâ potentiâ, quæ ad intra est, quæritur. Vt cum pater dicitur posse generare, filius generari, Spiritus S. spirari & procedere.* 2. Objectum voluntatis *ad extra consideratæ est strictius, potentiæ latius. Hoc dupliciter.* 1. Voluntas *re-*

tas *respicit esse rerum actuale, sic quod Deus vult, illi esse actuale dat, & facit. Vult ea, quæ actu producenda sunt: sed potest etiam ea, quæ tantùm sunt producibilia, etsi nunquam producenda. At potentia respicit esse etiam possibile: Et non quidquid Deus potest, id statim facit. Secus potentia Dei, quod non faceret, id nec posset facere, & sic fieret finita & coarctata.* 2. Potentia *se extendit ad multa factibilia, quæ tamen Deus non potest dici velle. Sic potest montem aureum facere, plures mundos creare, ægrum sine medicamentis curare, hominem sine nave aut jumento aliquò avehere, sine morte in cælum immediatè transferre, peccata violenter impedire, ne fiant, quæ tamen omnia voluntas ejus non vult.* Agendi modos *& ordinem: Voluntatis actus est per decretionem; potentiæ per executionem: voluntatis per beneplacitum, potentiæ per efficaciter effectivum.* Sufficientia *concipitur à nobis ut* ordine prior *in Deo & ad naturam ejus, ut ens est, pertinens:* potentia *ut* ordine posterior, *quatenus Deus concipitur ut efficiens & exequens, & sic hæc ratione differt à voluntate efficaci.* Opposita: *Voluntatis oppositum est odium, abominatio: Potentiæ impotentia: sufficientiæ indigentia, quæ non in Deo.* Analogias humanas. *In nobis aliud est voluntas seu appetitus movendi, imperans motum: cognitio motus, proponens & dirigens eum: & potentia movendi, seu locomotiva exequens motum. E. in Deo per analogiam hæc differunt ratione. Negant quidam differre ratione, ut* Valent: ap. Dn. Scheib. 2. Met. c. 3. n. 160. D. Gerh. ex. d. Deo. § 198. *Sed sunt intelligendi de tali rationis discrimine, quo potentia statuatur velut immediatum & proximum agendi principium: intellectus, voluntas & essentia, velut remotum & fundamentale, quomodo in creatis esse videmus. Hoc non est in Deo: Nam ipsum esse divinum, ut infinitum, per seipsum est proximum principium, eliciens, di-*

 rigens

rigens, exequens omnem actionem ad extra, nec potentiis hoc modo opus habet: ut benè explicat Suaret. d. 30. Meta. s. 17. n. 47. *Vel quo voluntas & potentia differant ut attributum & attributum in se distinctum, ut unum non sit aliud. Sic etiam non differunt. In re enim potentia est voluntas, & vicissim. Differunt tantum formalibus & inadæquatis nostris conceptibus,* V. t. 6. *Quomodo ratione differre attributa concedit* D. Gerh. c. l. §. 105. 110. *Et de pot: & voluntate Dei largitur apertè* Valentia T. 1. d. 1. q. 14. p. 8. *Cui oppositam sententiam ascribi à* D. Scheib. c. l. n. 560. *miror.*

§. 2. Objecti pot: infinitæ generalitas. *Objectum pot: hujus est* πᾶν ποιητικὸν *& possibile, non* relativè *solùm, quomodo omne id possibile dicitur, quod à potentiâ activâ actuari potest, quo sensu Deus omne id dicitur posse, quod potest; quod fermè* ἀδολεσχές *est: Sed &* absolutè, *ut possibile sit id, quod non habet in sese & intellectu divino, qui mensura omnium rerum & factibilium, repugnantiam, ut esse possit, adeoq́ habet rationem factibilitatis, & ex intrinsecâ suâ ratione potest esse, adeoq́ & objectum divinæ potentiæ esse. Nam quod non involvit repugnantiam ad esse, id intrinsecè ex ratione sui potest esse, & sic etiam à Deo fieri. Secus esset defectus non in re producibili, sed potentiâ producente, Quod de Deo cogitari non potest. At omne factibile seu possibile est tale. Ergo. Et hoc vult scriptura, quando non impossibile apud Deum omne Verbum ait* Luc. 1. v. 37. *Vbi per Verbum non intelligitur id tantùm, quod à nobis tanquam factibile appræhendi potest, ut* Dom. Soto vult 3. Phys. q. 4. *nec id solum, quidquid dixerit vel jusserit Deus, ut* Sadeel *vult,* resp. ad Mon. Burdi: ar. 2. T. 1 p. mihi 412. *Sed quidquid ab ullo intellectu sine involutione contradictionis concipi potest. Vnde quod in naturâ, & intellectu divino non implicat repugnantiam, Deo esse possibile credendum est. Possibile enim dicitur, quia Deus*

Deus illud potest, non contrà, illud Deus potest, quia est possibile. Ac si possibile naturâ prius esset, quam à Deo fieri posse. Est enim intellectus & potentia Dei principium & mensura rerum, non res mensura intellectus & potentiæ Dei. Cum script: omnia ipsi esse possibilia ait, Marc. 10. v. 27. *nihil impossibile,* Zach. 8. v. 6. Jerem. 32. v. 27. *Quæcunque velit, posse dicit.* Psal. 115. v. 3. Sap. 12. v. 18.

9. Excipe tamen ab hac potentiâ 1. Verè & realiter contradicentia, *quæ sunt talia, ut unum re ipsâ evertat alterum. Re ipsâ dico: Ut non statim verè contradictoria habeantur, quæ nostro intellectui talia videntur, sed quæ ex intrinsecâ sui ratione & essentiali connexione repugnantiam ad simùl esse involvunt. Non dicendum cum* Dom. Sot. c. 1. *illa esse impossibilia, quæ simul atque proposita fuerint, ab intellectu nostro respuantur. Sic enim 1. Intellectus erit mensura rerum, Et res erit possibilis, quia talis ab intellectu nostro judicatur. At contrà res & objecta sunt mensuræ intellectus, & non, quia intellectus cognoscit objectum impossibile, ideò est: sed contrà, quia præsupponitur in se & suo esse impossibile, ideò intellectus tale cognoscit. Objectum rei, est mensura intellectus, non intellectus noster objecti cogniti, mensura rei. 2. Intellectus finitus erit mensura perfectionis infinitæ, ut potentiæ divinæ, quod inconveniens. Nam ut intellectus non cognoscit essentiam divinam adæquatè, quidditativè & totaliter, sic nec potentiam diuin: Adeoque multa judicare potest illi improducibilia, quæ reverâ sunt producibilia, Quia non penetrat & exhaurit universam vim potentiæ divinæ. 3. Pleraque mysteria fidei reverâ erunt impossibilia, ut Trinitas, Incarnatio, Resurrectio: nam statim proposita ab intellectu naturali respuuntur, & impossibilia judicantur: nisi lumine gratiæ illustratus fuerit. Sic naturalis intellectus impossibile judicat, naturam finitam & infinitam ad unam hypostasin constituendam*

concurrere: Essentiam infinitam unam numero, tribus re distinctis hypostasibus substare, reali identitate, non trinâ multiplicitate: Majus, ut Camelum, (perinde nunc est, an animal, an funis nauticus intelligatur) longè minus, ut foramen acus, posse ingredi, i.e. majus minore suo minus esse: Et tamen ista ex mysteriis nostræ fidei ut vera assumimus: quascunq; hic contradictiones sibi fingat intellectus humanus, ut in Photinistis videre est. V. Crell. d. Un. Deo. l. 1. s. 3. c. 16. l. 2. s. 1. c. 1. & s. 2. c. 5. 6. 7. Smalc. c. D. Franc. d. 1. t. 8. 25. *Hoc Deo possibile esse affirmat Scriptura* Matt. 19. v. 24. *Cujus dicti sensum mirificè pervertit* Pisc. in h. l. *Nec* Sadeel l. de Sacr. mand. obj. 13. *satisfacit locutione suâ proverbiali, quam inesse regerit: aut* Timplerus l. 4. c. 2. Met. q. 20. *specialitate exempli, quam reponit. 4. Scriptura neganda erit, quæ disertè dicit, Impossibile hominibus, (intellectui humano) possibile esse apud Deum.* Mat. 19. v. 26. Marc. 10. v. 27. Luc. 8. v. 27. *Et posse Deum supra omnia, quæ petimus aut intelligimus.* Eph. 3. v. 10. *Debet quidem judicium contradictionis rationi committi, & ex Logicâ dirigi, quæ ejus fundmenta, rationes & modos suppeditat; sed formale, non materiale. Logica ostendet formam Contradictionis, i.e. quid ea sit, quotuplex, quomodo verè formanda, quibus respectibus, rationibus, modis, absolvatur: Sed an in hac vel istâ materiâ, his vel istis terminis connexis vera & realis sit contradictio, hoc ex qualibet disciplinâ particulari, unde materia desumpta est, sumendum & judicandum. Sic an in hac propositione, unum essentiâ est trinum hypostasi, realis sit contradictio, ex Theologiâ decidendum, quæ illam propositionem exhibet & confirmat. Etsi absolutè Logica formas, modos & rationes contradicendi sufficiat, quæ, ut alibi, ita & in his materiis suo modo sunt attendendæ. Vt rectè* Cl. I. Mart. l. 2. pæd: Log. c. 4. Co. Mart. d. an. form.

c. 2.

c. 2. *Ita Logica consequentiam judicat, sed formalem: Materialis ratio ex qualibet disciplinâ, unde materia consequentiæ est desumpta, est dijudicanda.*

10. *Alij in quæsito isto, Possitnè Deus contradictoria & impossibilia, non incongruè distinguunt 1. Inter Contradictoria* generalia *in terminis transcendentalibus, ut Ens, non Ens, homo, non homo, &c. in infinitum alterum Terminum negando: &* specialia, *in affectionibus particularibus Entis prædicamentalis, ut virginem manere, & partum edere.* Keck. l. 1. Log. s. 2. c. 6. Cl. I. Mart. in Log. Keck. c. I. Jauell. 10. Meta. q. 11. *Priora Deum non posse, benè posteriora. Sed & in prioribus Deo negandis temeritas cavenda, ut rectè monet* D. Weberus d. Cœn. c. 2. s. 6. §. 11. *Nec facile aliquid contradictorium dicendum, nisi ubi res plenè & totaliter fuerit cognita. Oportet enim evidens esse nobis ex parte objecti, contradictionem in eo esse, quod de eo statuitur. Secus probabiliter saltem nobis contradictio inesse videbitur, cum reverâ aliter esse possit. Potest enim Deus supra id quod nos concipimus, per* th. 9. *Adeoq; si nobis videatur Ens & non Ens esse, timidè possibilitas rei deneganda Deo, non temerè. Valebit enim illud* August. l. 22. d. C. D. c. 11. *Ecce qualibus argumentis potentiæ divinæ contradicit humana infirmitas, quam possidet vanitas. Et cogitandum illud* Justini: *Credimus naturæ naturalia, arti artificialia, Deo divina. Divinæ verò potestati nihil est inobediens. 2. Inter impossibilia* naturæ, *quæ transcendunt naturam, sive & in fieri & esse superent naturam, ut unio hypostatica: sive in fieri solùm, ut restitutio visus in cæco, incessus in claudo: Hæc Deum posse: &* Naturâ, *quæ simpliciter rei essentiæ repugnant. Hæc non posse. Hæc potiùs dicenda talia, quæ suâ naturâ fieri non possint, vel sub nullam possibilitatem cadant, quam quæ Deus facere non possit. Vt ex* Thomâ p. 1. q. 25. a. 3. *adducit* Dn.

Co. Mart. l. 2. anal. Log. c. 6. & *ex Conimbr.* Wasius ax. Phil. 63. *3. Inter impossibilia* rei, *quæ naturæ repugnant, &* Dei, *quæ Dei naturæ adversantur. Hæc impossibilia Deo, non illa. 4. Inter impossibilia* loci & temporis, *ut ex solido lapide rosam enasci, hyeme pyra crescere: hæc Deum posse: & illustratæ divinæ mentis, hæc non posse. 5. Inter impossibilia* ἀληθῶς *&* φαινομένως*: definitionis rei & affectionum rei. Priora Deum non posse, benè posteriora.*

11. Atq; ex his patet, quid ad ea respondendum, quæ specialiter hic disquiri solent, quorum tria tangemus. 1. An Deus posſit facere, *ut præteritum non fuerit? Ut factum infectum sit? Ut vitiata non sit vitiata? Ut Adamus non extiterit? R. Potest Deus facere, ut præteritum non fuerit divisè, & absolutè, i. e. ut planè non extiterit illa res, quæ dicitur præterita, ut Adamus, vitiata, &c. nunquam in rerum naturâ fuerint, ut factum nunquam in actum deductum fuerit, hoc enim contradictionem non implicat, & sic absolutè possibile est: non compositè, & hypotheticè, i. e. posito quòd fuerit præteritum, quòd gestum fuerit factum, quòd extiterit Adamus, vitiata, &c. & tamen simùl non fuerint ista. Hæc enim contradictoria.* Con. Valent. T. 1. d. 1. q. 25. p. 3. D. Gerh. ex. d. Deo. §. 205. Becan. p. 1. Th. Sch. c. 17. q. 5. Scheibl. l. 2. Met. c. 3. n. 579. *Sic rectè dicitur* 1. d. coel. c. 12. t. 138. *potentiam non esse ad præteritum, sed præsens & futurum. Con.* Bed. axi. p. 178. 2. An posſit *facere montem sine valle? Negant* Danæus & Bolerus *aliiq; ap:* Weixelberg. dis. 1. term. q. 6. *Rectiùs affirmatur. Ubi elatio terræ, ibi mons, ex definitione montis. At potest Deus elationem terræ in vacuo, vel aëre, remotâ hâc terrâ, creare & creatum sustentare, Ubi si medium montis ascenderis, & fastigium intuearis, montem esse liquebit. Et tamen nulla vallis, sed vacuum, aut aër, terris omnibus subductis. Et Deus potuit majus, terram*

ram

r am ex nihilo creare. E. & minus, montem in aëre aut vacuo facere, omni reliqua terrâ subjectâ adempta. 3. An possit *agere in Non Ens? Potest & effectivè, ut efficiat esse, quod non est,* Rom: 4. v. 17. *& objectivè, ut cognoscat id, quod nondum est, quasi futurum sit: & destructivè, ut faciat illud non esse, quod est, i. e. in nihilum redigat entia: Non subjectivè, quasi non Ens sit subjectum recipiens actionem Dei. Est enim nihil, & sic nequit subjectum ullius esse.* Conf. Scalig. ex: 365. f. 8. *Atq; ita, cùm Deus ex nihilo aliquid facere dicitur, τὸ ex non est nota subjecti & materiæ, ex quâ aliquid educatur, sed termini à quo, & antecedentis. V. eundem* ex. 6. f. 13. *Sic ex notat efficientem,* Ose. 8. v. 4. Luc. 1. v. 35. Joh. 8. v. 41. 44. 47. Rom: 11. v. 36. 1. Cor: 8. v. 6. *non materiam. Cætera quæ hic disquiruntur, ad alias materias pertinent.*

12. 2. Excipe à potentiâ infinitâ verè *& realiter deficientia, quæ defectum, vitium & imbecillitatem important, non potentiam aut perfectionem. Hæc sunt duplicia:* Naturalia *ut mutari, crescere, augeri, generare cum motu & mutatione, nutriri, uri, vulnerari, &c.* & moralia, *ut mentiri, fallere, decipere, furari, &c. Neutra sunt in Deo. Nam* naturalia, *quoad modos agendi sunt actus materiales, sequentes materiam & ab eâ pendentes: & sic eo modo quo sunt in causis secundis, materialiter, in Deo non sunt: involvunt enim imperfectionem, carentiam, mutationem, & compositionem materialem: etsi* per eminentiam efficiendi *illos actus in creaturis in Deo esse possint; Nec hinc arctatur Dei omnipotentia, ut apparet intendere* Timpl. l. c. c. 2. q. 19. Moralia *vitiositatem & abominationem implicant, & sic potentiæ Dei, quæ purissima & rectissima est, repugnant, ac per id multum ab eâ removenda.* Plinius l. 2. N. H. c. 7. *imperfectæ in homine naturæ præcipuum solatium dicit, quod ne Deus quidem omnia possit, ut mortem sibi consciscere, &c. Sed hoc posse*

non perfectionis sed summæ imperfectionis & vitiositatis est. *Rectè* August. 5. d. ci. Dei c. 10. *dicitur omnipotens, faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Et nullum stolidius caput in toto Plinio reperitur. Elymas Magus inde Deum non esse omnipotentem contra Paulum conclusisse dicitur, quod non possit mentiri, mori, seipsum negare.* 2. Tim: 2. v. 13. *Vt ex* Weigelio in excit: ment: *memorat* Anonym⁹ quidam in li. Theosoph. p. 20. *Eâdem stoliditate quâ Plinius.* Vorstius d. na: Dei. p. 234. *potentiam Dei negat infinitam esse, quod non extendat se ad impossibilia. Sed ad quædam se extendere dictum* th. 9 10. *Quod non possit ea, quæ suâ naturâ fieri nequeunt, non angustiorem facit ejus potentiam.* Potentia enim dicitur respectu possibilium, ut scientia respectu scibilium. *Vt non ignarus dicitur, si nesciat ea, quæ suâ naturâ non sunt scibilia: Sic nec impotens, si non possit suâ naturâ impossibilia. Non cadunt hæc sub potentiam: Et si caderent, non essent impossibilia.* Chauassius l. 1. d. not. rel. c. 6. n. 4. *& Lutheranos negare omnipotentiam Dei ait, quod negent transsubstantionem in Cœnâ. Sed nos nec negamus, Deum posse transubstantiare corpus unum in aliud, & sic in Cœnâ id præstare, si velit, aut se facturum promiserit: nec negamus actualem inhærentiam ab accidente posse tollere manente aptitudinali, si illa est modus ex naturâ rei ab accidente distinctus, ut Philosophi non ignobiles volunt:* V. Cl. J. Mart. l. 2. part. s. 3. q. 9. s. 7. q. 2. Suarez d. 37. Meta. s. 2. n. 4. Becan. p. 3. T. S. tr. 2. c. 20. q. 1. n. 2. Valentia *pro illâ separatione possibili, & Philosophos Platonicos & Pythagoræos adducit, quos eam statuisse memoret. Averroës,* l: 4. d. 6. q. 3. p. 2. §. 8. *Sed negamus in Cœnâ tale quid fieri: nec ex institutione mutationem talem, quâ accidentia serventur sine subjecto, adhuc evicerunt Papistæ. Panis consecratus in vero usu est corpus Dominicum non univocè, es-*

cè, essentiali unione, vel unius in alterum reali mutatione & transsubstantiatione, sed extra essentiali & sacramentali unione, & reali unius cum altero communicatione, explicante Paulo 1. Cor: 10. v. 16.

13. Dices: Potentia *infinita exceditur à scientiâ infinitâ, nam hæc etiam scit mala, peccata, deficientia, quæ tamen non potest facere potentia: Sic scit Ens rationis penetrando totam capacitatem intellectus finiti, quod tamen in seipso Deus nequit facere, est enim difformitas entis veri, ejusquè tantùm umbra, quæ imperfectum quid. E. non est verè infinita. Nam infinitum à nullo excedi debet.* R. *Infinitum à nullo excedi debet* intrinsecè *quà suam essentiam & proportionaliter: Sic scientia Dei non excedit essentiam potentiæ, utraq; enim infinita, & identificatur essentiæ divinæ, quæ infinita. Nec proportionem: Nam ut scientia Dei est omnium scibilium; sic potentia omnium possibilium. Excedit* extrinsecè *ratione numeri in objecto: Ita plura cadunt sub scientiam Dei quàm potentiam. Sed hoc infinitati pot: non obstat.* Ens rationis *ut intellectus divinus cognoscit* mediatè & indirectè, *ut factibile à finito intellectu: sic & mediatè per illum intellectum & in illo potest facere. Et in hoc non est imperfectio. Nam etsi ens rationis sit quid disconveniens rei, & sic immediatè illud facere sit imperfectio: tamen concipi illo imperfecto modo est vera res in creaturâ, intellectio quædam, & hanc Deus cognoscit uti est, & sic perfectè cognoscit. Nam cognoscere rem uti est, est perfectè eam cognoscere. Noster intellectus imperfectè cognoscit, cum facit ens rationis: Sed* hoc nostrum imperfectè cognoscere, cognoscit Deus perfectè, *& uti est. Et sic ipsi & scientia entis rationis, & potentia faciendi mediatè, citra imperfectionem tribui potest. Co.* Dn. Schei: l. 1. Met: c. 27. n. 51. 52. Suar. d. 54. Met: s. 2. n. 19. *latissimè* Smiglec: d. 1. Log: q. 8.

14. *IV.* Potentia est vel naturalis vel obœdientialis. Naturalis *est proprietas ad actum, quem naturâ habere potest. Sic in homine vis motiva, visiva: In lapide vis ad actum motus, quo sursum projici potest, etsi ipsi subjecto iste motus sit violentus.* Obœdientialis *quid sit, pete ex* d.4. t. 31. *Nota hic* 1. Pot. naturalis generalitatem. *Non tantùm potentiæ passivæ competit, ut* Bellovis. tr. 2. term. c. 12. Scharf. l. 2. Met. c. 4. Alsted. l. 5. Ency. p. 1. c. 15. *restringunt: sed & activæ: Nam & quædam virtutes ad agendum sunt naturales, ut cani vis latrandi, equo hinniendi est naturalis: quædam obœdientiales. Sic asinæ Bileami potentia obædientialis activa inerat ad loquendum.* Num. 22. *Prophetis ad futura prædicendum, Apostolis ad loquendum omnibus linguis, & curandum omnes morbos. Aquæ vis inest ad regenerandum in baptismo, ex dispositione creatoris,* Joh. 3. v. 5. Tit. 3. v. 5. 1. Pet. 3. v. 21. *Quidquid contradicant Photinistæ, Anabaptistæ, Weigeliani, & similes.* 2. Pot. obædientialis generalitatem *& subjectivè & effectivè.* Subjectivè, *ut omni subjecto, i.e. Enti creato, respectu Dei competat, elevari posse ad operationem supernaturalem. Sic intellectum humanum elevare potest ad beatificam & intuitivam visionem Dei, animam humanam ad supernaturales beatos habitus recipiendos: brutum ad loquendum: nihil ad existendum, & in actum procedendum: effætum & decrepitum, ut Abrahamum & Saram, ad generandum, mutum ad loquendum, cæcum ad videndum, ferrum ad natandum, aquam ad animæ sordes purgandum, panem ad corpus Dominicum exhibendum: &c.* Effectivè, *ut ad quosvis effectus elevari possit, qui non contradicunt & evertunt ipsas rerum essentias. Hæc enim inter impossibilia absolutè numeranda, de quibus* th. 10. *Sic hominem elevare potest ad omnipotenter regendum universa creata, ut Christum: aquam ad conferendam*

gra-

gratiam, ut in baptismo: panem & vinum ad conferendam & obsignandam eam, ut in cœnâ: Corpus unum, ad multa loca & ubicationes simul occupandum: hominem ad miracula divina patrandum, ut Mosen, Eliam, Elisæum, Apostolos, &c. Et omninò quamdiu nobis non constat de repugnantiâ essentiali & intrinsecâ inter rem & effectum, tenemur inclinare ad partem quæ auget omnipotentiam Dei, & pro omnipotentiâ magis quàm pro alterâ parte sentire, *Vt benè* Arriaga d. 11. Phy. s. 4. n. 79. *Conf.* Valent. T. 4. d. 1. q: 13. p. 2. Mendozam d. 9. Phy. n. 145. 146. 3. Divisionis immediationem. *Nullum tertium inter hæc duo membra. Quidam* objectivam & subjectivam *addunt. Illa est non repugnantia rei ad actum. Hæc aptitudo certi subjecti, ex quo actus educi potest.* Prætor. p. 1. Meta. s. 15. ax. 5. 6. *Sed* ista *reverâ* vel est naturalis, *sic in rosâ est potentia objectiva naturalis respectu solis & fruticis, à quibus actuari potest:* vel obœdientialis, *sic in animali, leone, asino, est pot: obæ: ad artificium prædicabilitatis, subjecti, prædicati, termini majoris, minoris, in syllogismo, &c. Sic mundus in potentiâ objectivâ, i. e. obædien. fuit ad existendum, respectu Dei; In ferro potentia obædientialis ad supernatandum aquis, &c. & sic ad alterutrum horum membrorum semper referri poterit.* Hæc *nil aliud est, quàm potentia naturalis, remota vel proquinqua alicujus subjecti, unde quid educi potest. Sic omnes formæ dicuntur esse in potentiâ materiæ. Quæ potentia est naturalis passiva.* Scotus q: 1. prolog: & 2. sent. d. 2. q. 6. neutram *introduxit inter natur: & obœdi: quæ innata quidem sit subjecto, sed actus non ex ejus inclinatione proveniat, etsi à naturali agente rei conferatur. Vt quod ignis elementaris circulariter ad motum cœli rapiatur, ad quem inclinationem ex naturâ sui non habet.* V. Arnis. epit. Met. de act. & pot: *Hæc potentia* analo-

gicè obœdientialis dici *poteſt, quia actus eſt velut ab externo agente, recipiente ad actum non repugnante.* 4. Pot: objectivæ ſubjectivitatem. Pot: object: *non ſubjectatur in* illâ re, *quæ ita dicitur eſſe in potentiâ, quaſi iſta res eſſet Ens reale, jam habens ſibi debitam eſſentiam, eò quod futura ſit: Quomodo omnibus rebus futuris eſſe objectivum quidam aſſignant. Nam tale eſſe ſi verum eſſet,* vel *creatum eſſet, at hoc fit ad exiſtentiam, nihil enim creatur, quod non terminetur in exiſtentiâ:* Vel *increatum, at hoc ſolius Dei eſt, cujus eſſe eſt ſimul exiſtere: Sed in* cauſis *iſtius rei, in quibus res latet. In illis tale Ens potentiale habet realitatem & eſſentiam ſuam, ex quâ in actum debitis requiſitis accedentibus poteſt emergere. Sic roſa in hyeme eſſentiam in frutice habet, filius generandus in patre. Hoc intellige de pot. objectivâ, quæ* verè talis eſt & dicitur. *Nam* altera, *quæ etiam de Ente actuali dicitur, quando ipſi aliquid deeſt, ut cùm puer in potentiâ ad Doctorem, paries ad albedinem dicitur, etiam in ſubjecto, quod Ens reale & actuale eſt, eſſe poteſt, Sed jam de* iſtâ *quæritur,* quæ eſt rei, quæ nondum eſt, eſſe tamen poteſt; *adeoq; in potentiâ objectivâ ad actum eſſe denominatur.*

15. V. Potentia eſt vel rationalis vel irrationalis. Rationalis, *in quâ eſt intellectus, & cui ſubeſt ea. Sic potentiæ Dei intellectuales: angelorum & hominum, ut pot: motiva, volitiva, appetitiva, ſenſitiva.* Irrationalis, *quæ intellectus imperio non ſubeſt. Vt vegetativa, nutritiva, accretiva, generativa in animali, plantâ. Non enim reguntur imperio rationis, nec ab eo determinantur, ſed ſimpliciter procedunt ut natura permittit aut decernit. Rationales potentias* Ariſt. 9. Met: c. 2. *contrariorum vocat, ut medicatoria ad ſanandum & infirmandum: irrationales ad unum determinatas. Vt calor ad calefaciendum, generativa ad generan-*

tandum. Quidam per pot: rationales artes & scientias intelligunt, non intellectum & voluntatem. Beca. p. 2. T. 2. Th. Sch. tr. 1. c. 2. q. 3. §. 8. *Alij potentias rationales liberas dicunt, quod circa idem objectum omnibus cæteris paribus agere possint & non agere, & contraria agere: Merè naturales & irrationales omnibus paribus & idem, & necessariò, & eodem modo agant. Vide multis* Fons. l. 9. Meta. c. 2. q. 1. s. 3. *Huc pertinet canon Metaphysicus:* Causa naturalis eadem quà eadem, semper agit idem.

16. *VI.* Pot: est vel remota vel propinqua. Remota, *quam non immediatè sequitur actus, sed alijs intervenientibus. Sic in terrâ est pot: remota suscipiendi formam animalis, hominis: In ligno, ut fiat homo, si variæ alterationes intercedant. Talis potentia si sit nimis remota, fermè amittit nomen potentiæ. Sic non solemus vulgatò sermone dicere, in arbore esse potentiam ad hominem, leone ad asinum aut bovem, &c.* Proxima *est, ad quam proximè sequitur actus. Sic ex semine proximè fit animal, chylo sanguis: in oculis est pot. proxima ad videndum, auribus ad audiendum.*

17. *Hactenus* divisiones potentiæ generales: speciales *sunt, quæ vel potentiæ infinitæ vel finitæ & prædicamentali competunt.* Infinita *etsi in esse suo sit una: in respectibus tamen, modis, & objectis dividi solet in absolutam & ordinatam, externam & internam, determinatam & indeterminatam, mediatam & immediatam: sic immediatè potest creare hominem: sed mediatè generare; concurrendo ad actus creatos: Creantem, conservantem & concurrentem. Horum explicatio uberior à Theologis est sumenda. Conf.* Durelleum l. 1. Dial. c. 6. cons. 1. Prædicamentalis potentia *dici potest alia activa, alia passiva. Vt de transcendentali dictum* th. 4. Activa *est qualitas efficax ad agendum. Passiva qualitas habilis ad recipiendum.* Alia *intensa, quæ validè*

agit

agit: alia *remissa, quæ remisse, & vulgò impotentia dicitur. Non enim ista vox* negativè *ibi accipitur, pro negatione potentiæ, quæ transcendens quid est, oppositum potentiæ, & vatari potest per omnia prædicamenta : Sed* privativè, *positione imbecillis potentiæ.* Alia *indeterminata ad agendum simpliciter ;* alia *determinata ad agendum benè & facilè. Quidam hanc tantùm nomine potentiæ in qualitate intellexisse Aristotelem putant.* D.Schei. 1. Met. c. 14. n. 39. Scotistæ ap. Ragusei. d. 4. Perip: c. 13. *Quos sequitur* Ragusei. c. 14. *Alij omnem potentiam agendi comprahendisse putant.* Dn. Scheib. int. Log. c.8. n: 49. Zabarel. l. 1. d. ma. pri. c. 9. *Et rectiùs hoc. Nam si potentia currendi facile est in qualitate, cur non pot. currendi simpliciter? Promptè posse, & simpliciter posse utrumq; est posse. E. uni Categoriæ debetur. Et sic Arist. ipse* 9. Met. c. 1. *potentiam dividit in potentiam faciendi, & benè faciendi. In* categorijs *autem potentias benè agendi adduxit, quia & nobiliores & evidentiores sunt.* Alia *pot: est manifesta,* alia *occulta: prima & secunda : corporis & animæ: imperans vel exequens. De his videantur* Logici & Metaphysici.

18. Fuerunt divisiones *potentiæ. Sequuntur* Affectiones, *quæ sunt habilitates quædam ultra definitionem & species ei convenientes. Quædam perficiunt eam, quædam potiùs defectum innuunt. Ergò sic potentiæ affectio est.* 1. Prioritas *ratione actus,* posterioritas &, simultas. *Potentia & prior est actu, & posterior, & simùl cum eo.* Prior *est, si intelligatur 1. potentia objectiva ejusdem subjecti. Hæc semper antecedit actum & naturâ & tempore : sic prius rosa est potentiâ, quàm sit actu. 2. Receptiva ratione actus, quem recipit. Hæc naturâ prior actu. Tempore simùl esse potest. Sic in formâ & actus per emanationem esse potest eodem instanti, & potentia passiva recipiendi istum actum. Nam potentia ita est velut* ma-

materia, actus velut forma. At materia quà recipiens formam, saltem naturâ ut prior concipitur illo, quod recipit: Posterior *est 1. Actu scil. absolutè in universum sumpto, & in diverso subjecto. Hoc modo Deus simpliciter fuit ante omnem potentiam, & naturâ, & tempore, & eminentiâ. Ita omne quòd è potentiâ in actum deducitur, ab actu aliquo deducitur.* Arist. 9. Meta. c. 8. *2. Cognitione distinctâ & faciliori. Actus distinctè prius cognoscitur, quàm potentia. 1. Quia est perfectio potentiæ. Et potentia in ordine ad eum definitur.* d. 4. t. 32. *Plus etiam participat de essentiâ quàm potentia. At quò plus Entis in aliquo, eò plus intelligibilitatis. Plus enim movet intellectum ad cognoscendum, Et sic etiam prius cognitu. 2. In faciliori nostrâ cognitione inchoatur à sensibus. At quæ in sensibus sunt, actualia sunt. Sic actualia prius à nobis cognoscuntur, quàm potentialia. Et* Arist: 9. Meta. c. 9. *potentialia non cognosci à nobis ait, nisi reducta ad actum.* Simùl *est* 1. definitione *reciprocâ & mutuâ intellectione. Potentia definitur per actum, & per eum intelligitur: & actus in ordine ad potentiam. 2. Quandoq;* tempore. *Sic potentia Physica prædicamentalis agendi aut patiendi potest simùl esse cum actu ipso. Sic potentia citharisandi cum citharisatione, canendi cum cantione, recipiendi verberationem cum verberatione. Sic materia, potentia, simùl tempore cum formâ, actu, est. De objectivâ pot: ad existendum hoc non est.*

19. 3. Subjecto. *In quo subjecto actus est, in eo & potentia est. Iuxta illud vulgatum: Cujus est potentia, ejus & actus.* Arist. d. som. & vig. c. 1. *Sic in homine est actus currendi. E. & potentia. Accipe hoc* 1. De subjecto illo, *quod est velut ipsa causa agens. Hæc quæ potest agere, etiam agit. Non enim realiter est alia res, quæ potest agere, & quæ agit, sed eadem: sive jam sit Causa totalis & denominationis, sive partialis & radicationis, Sic valet: Homo potest currere. E. &*

currit. Leo potest rugire. E. & rugit. Anima potest movere, nutrire, augere corpus. E. & movet, nutrit, auget. Anima potest intelligere, velle. E. & intelligit, vult. Hoc modo subjectivè explicari potest cum Timpl. l. 5. Meta. c. 3. q. 14. Javel. l. 1. Met. q. 8. *De illo subjecto, quod potest saltem efficere actionem in alio, non verò idipsum in se agere, non valet à potentiâ ad actum concludere. Sic anima efficit motum, cantum, incessum, nutritionem in animali. Non sequitur, E. actus movendi, canendi, incedendi, nutriendi, sunt in animâ. Nam hi actus sunt in composito. Sunt enim materiales, dispositionem organorum materialem requirentes, quæ non in animâ, sed corpore sunt. Sed nec potentia movendi, canendi, incedendi, erat in animâ, sed tantùm efficiendi ista in compositis. Non dices: Anima potest canere, currere, incedere, moveri. Sed: Anima potest efficere cantum, cursum, incessum, motum in corpore & composito. Hoc modo actus sunt in compositis: potentiæ efficiendi eos in formis, secundum illud Metaphysicorum:* Actus sunt suppositorũ: virtutes agendi formarũ. 2. De actu agente, *non recipiente aut passivo. Sic: Ignis potest calefacere. E. & calefacit. Aqua potest frigefacere, E. & frigefacit. Sed de actu passivo non valet: Vis calefaciendi, siccandi, est in igne. E. & calefactio, siccatio, ut notant effecta virtutum. Nam hæc subjectivè sunt in patientibus, effectivè ab formis agentibus. Hic non valet, In quo est potentia, in eo ut subjecto & effectum potentiæ.* 3. de actu immanente, *ut Vis intelligendi est in animâ. E. & intellectio: non transeunte, ut Vis dealbandi parietem est in albedine. E. & dealbatio: quæ tamen in pariete.*

20. 2. Nobilitas & ignobilitas, *præstantia & vilitas ratione actus.* Potentia nobilior & melior actu *1. in rebus malis. Sic melius est, posse malè agere, quàm actu malè agere. 2. In actibus privativis & destructivis. Sic melius est posse*

cæ-

cæcum esse, mori, occidi, annihilari, comburi, quàm actu cæcum esse, corrumpi, mori, &c. Sed potentia est ignobilior actu *1. in rebus bonis. Sic melius actu ambulare; quàm posse ambulare, actu virtutem exercere, quàm posse exercere. 2. In perficientibus & complentibus. Sic melius est, actu doctorem esse, quàm fieri posse: Melius, actu Musicum esse, quàm esse posse. Intellige hanc actus perfectionem* 1. extrinsecè, *& quasi per ultimam termini completionem: non intrinsecè, quasi actus internam potentiæ essentiã perfectiorem redderet. Est enim actus extra potentiam, non ejus essentia, forma interna, vel differentia, sed objectum externum, ad quod ordinem dicit potencia.* V. d. 4. t. 16. *2.* De potentiâ passivâ, objectivâ & obœdientiali. *Hæc actus perficiens semper est perfectior. De potentiâ activâ distinguendum* 1. inter potentiam infinitam, *hic nulla nobilitas actus præ potentiâ, & hujus præ illo: Esse enim & posse, & omnia in divinis simplicissimè unum sunt.* 3. Phy. c. 4. t. 32. & finitam. *Hic distinguendum* 1. inter *actum permanentem, qui est opus post operationem permanens, ut domus, statua, vestis: & transeuntem, qui operatione cessante desinit, ut saltatio, Citharisatio. Ille non semper præstantior potentiâ agendi. Sic statua, domus, non præstantior potentiâ faciendi statuam, ædificandi domum. Nam statua, domus, inanimata sunt: potentia animata & viva. At animatum præstantius inanimato.* 2. Transiens *actus spectatur dupliciter.* 1. præcisè *& solitariè secundùm se: sic non præcisè nobilior potentiâ activâ. Nam hæc permanens, ille transiens. At permanens & diuturnum præstantius est transeunte & labili, nisi aliunde præstantia huic concilietur.* 3. Top. c. 1. 2. Complexè, *ut præsupponit potentiam, cujus ultima quasi completio est. Sic præstantior potentiâ activâ dici potest: Prærequirit enim actus potentiam agendi, & præterea propriam perfectionem & complemen-*

tum ipsius actionis superaddit. Ita duas perfectiones quasi complectitur. Et sic omnis actus præstantior potentiâ. 9.Meta. c. 9.

21. 3. Generalitas. *Potentia omni Enti competit, quodcunq; est, vel esse potest.* 4. Inferendi habilitas, *quâ ab esse ad posse benè arguitur, sed non contrà. Vt: Mundus est actu finitus. E. potest esse finitus. Interdum ampliandum verbum posse ad differentias temporum, ut interdum præteritum de potentiâ inferatur, non præsens. Vt: Lateres sunt cocti. E. & potuerunt coqui: non, E. possunt. Nam quod jam factum, non potest fieri, sed potuit olim. Sic: Homo jam actu est generatus. E. potuit generari. Non, E. potest. Contrà non valet à posse ad esse. Vt: Deus potest creare novum mundum. E. faciet. Nec valet in ijs, ubi antecedens potest esse sine consequente. Vt: Cœlum est maximum corpus quod est. E. & maximum, quod esse potest. Non valet, quia antecedens consistere potest sine consequente. Nisi dicas, de eodem subjecto de quo esse intelligitur, & posse inferendũ esse. Sic valebit: Cœlum e.m.c.q.e. E. potest esse maximum, quod est. Non, E. & maximum est, quod potest esse.* 5. Desitio. *Potentia desinit adveniente actu. Vt: Homo jam actu est productus. E. non produci demum potest. Intellige* 1. de pot. transcẽdentali, *objectivâ, Logicâ & obædientali. Vt: Domus jam actu est exstructa. E. non demum in potentiâ ad exstruendum est. Lateres jam actu sunt cocti. E. non demum coqui possunt.* 2. actibus destruentibus *& defectivis: Vt, Homo jam est mortuus. E. non demum mori potest. Domus jam est combusta. E. non demum comburi potest. Homo jam actu est cæcus. E. non demum fieri potest. Nisi τὸ potest amplies ad tempus præteritum, Vt, domus est combusta. E. comburi ante potuit. Non de potentiâ prædicamentali & naturali. Sic non valet: Actu videt. E. non potest videre. Actu verberatur, E. non potest verberari.* 6. Ad actum

actum reductio. *Poten. omnis ad actum est reducenda, & frustra est potentia, quæ non aliquando ad actum traducitur.* 1. d.cœl.c.3. t.32. Valet. *1. de pot. activâ artificiali, & artificio productis. Vt frustra est pot. citharisandi, nisi aliquando citharises. Frustra est potentia calceandi in calceo, nisi actu calceare possit. 2. Naturali ad agendum ordinatâ, & omninò eâ, quæ ob actũ & finem rei inest. Vt, Vana est potentia videndi, ambulandi, quæ nunquam in actum traducitur.* Non valet. *1.* de potentiâ *objectivâ producendæ rei: Vt, non vana est potentia rosæ in frutice, etsi nunquam in actum deducatur. Non frustra est pot: videndi in talpâ, etsi nunquam in actum ducatur: Aut obœdientiali in eâdem, ut, non vana est potentia æris, ligni, ad statuam, etsi actu nunquam fiat statua. Non frustra pot: in lapide, ut à Deo filij fieri possint, etsi nunquam actu futuri sint.* 2. De potentiâ *absolutâ Dei. Sic non vana potentia annihilandi hominem in Deo, etsi nunquam actu annihilaturus sit. Non vana potentia creandi plures mundos, soles, species brutorum, etsi nunquam actu creaturus sit.* 3. De potentiâ passivâ *recipiendi actum. Sic non frustra est potentia, quâ homo verberari, doceri, uri possit, etsi nunquam actu verberetur, doceatur, uratur.* 4. De potentiâ *ex simplici naturæ necessitate fluente, non præcisè ad actum ordinatâ. Sic non frustra potentia in creato, quâ essentialiter mutari possit, etsi actu nunquam ita mutandũ sit. Non frustra divisibilitas in corpore continuo in infinitum, etsi nunquam actu in infinitum dividatur.* 5. De actu *non totaliter & conjunctivè sumpto, sed distributivè. Sic non frustra est potentia materiæ recipiendi omnes in universum formas, etsi non actu recipiat. Non frustra infinita potentia creandi in Deo, etsi non infinitas res creet, satis si creet aliquas, has vel illas.*

22. Fuit absoluta *potentiæ consideratio. Sequitur* respectiva, *quà respectu cognatorum suorum, diversorum, dispa-*

 rato-

ratorum & oppositorum spectatur. Cognata *potentiæ sunt partim aptitudines rerum: partim causalitates & causæ: partim habitus artificiales.* Diversa *sunt alij essendi modi, qui in Metaph. docentur, & sub istâ Entis divisione, sub quâ actus & potentia sunt, non collocantur. Vt totum, pars, Idem, diversum, simplex, compositum, &c.* Disparata *generaliter eadem diversa dici possunt: specialiter ea disparata vocentur, quæ sunt cum potentiâ sub attributis Entis divisis* immediatè ex essentiâ *rei fluentibus, quorsum à Metaphysicis referuntur præter potentiam & actum, principium & principiatum, causa causatum, necessarium, contingens, dependens, independens, creatum, increatum, per se & per accidens, &c.* V. Scharf. l. 2. Met. c. 4. Alsted. l. 5. Ency. p. 1. c. 13. *Illa ergò, quæ sub istâ divisione tanquam disparatæ ab potentiâ species collocantur, disparata ejus dici possint.* Rigida disparata, *quæ sint species diversæ sub rigido genere positæ, ut homo, equus, leo, sub animali, hic non dantur. Nec enim ens genus est: nec actus, potentia, finitum, infinitum, &c. veræ species sunt.* V. t. 2. Opposita *pot: sunt* vel contraria, *quæ possunt esse potentiæ affectata & ficta, quomodo Turca sibi potentiam universi orbis arrogat: & Papa potentiam super cœlestia, terrestria & infernalia sumit, & potestatem donandi terras infidelium vendicat: æmulatio potentiæ, quomodo Salmoneus & Cosroës potentiam Dei jaculandi fulmina æmulabantur ap.* Camer. C. 2. c. 28. Vel contradictoria, *ut non potentia, nihil:* vel privativa, *ut impotentia, imbecillitas:* vel relativa, *ut actus & objecta, circa quæ versatur.*

23. *De his notandum* 1. Actum & potentiam variè *considerari.* 1. abstractè, *pro ipsis rationibus & intentionibus conceptum actus & potentiæ indicantibus. Hoc modo relativa dici possunt: definitur enim alterum per alterum: ut potentia est vis ad actum; & actus est perfectio potentiæ: & ordinatur alterum*

alterum ad alterum, velut terminum transcendentalem, & sic mutuò referuntur. Si non relatio prædicamentalis cum omnibus suis requisitis hic est, ut quòd non sint accidentia, quòd non simùl naturâ, tempore, existentiâ, non ejusdem Categoriæ, qualia ex parte urget Zabar: l. 1. d. mat. pri. c. 9. *sufficit, si sit transcendentalis. Termini enim, actus & potentia, sunt transcendentales, non prædicamentales. In istis sufficit esse subjectivum, quo unus terminus habitudinem ad alium sustinet, s. sub ratione præsentis s. futuri, sive præteriti, extrema sumantur. Simùl esse quà intelligentiam hic sufficit, etsi non quà existentiam.* 2. Concretè *pro ipsis rebus, quæ actus & potentia denominantur. Sic sunt duo transcendentia absoluta, quæ in omnibus Categorijs, vel etiam nullâ, locum habere possunt. Sic Deus dicitur actus purissimus, materia prima mera potentia. Neutrum in ullâ Categoriâ. Ita actus dicitur forma rei essentialis, formale: materia potentia ad formam essentialis, materiale. Neutrum in uno prædicamento, sed vagans per omnia. Sic in substantiâ, quantitate, qualitate, &c. inveniuntur. Coalescunt enim ita hi modi, actus & potentia, cum ipsis formis, quibus junguntur, & sic pro naturâ formarum per omnes Categorias funduntur. Vt contra Zabar: rectè observat* Ragusej. d. 4. Perip: c. 14. 16. 19. 3. Comparatè, *ut potentia dicit velut carentiam actus, actus complementum potentiæ. Sic tanquam privativè opponuntur: non* strictè, *quasi potentia sit privativum quid, cum sit habitudo & modus ad esse vel operari. Sic potentia Dei, qualitas agendi, recipiendi, absurdè privationes dicentur. Et sic rectè negat* Timpl. ex. Phil. 4. q. 23. & l. 5. Met. c. 3. q. 14. *privativè opponi: Sed* latè, *quia potentia ratione actus ut conjunctam privationem habere concipitur. Quomodo privativam oppositionem agnoscunt* Zabar. c. l. Cl. I. M. l. 1. par, Met. s. 2. q. 17. *2. Notandum,* Objectum *potentiæ esse*

illud,

illud, quod ut terminum transcendentalem ea respicit, ut ad quem ordinari debet. Ita omnis potentia respicit objectum suum: Objectiva & obædientialis modum existendi: activa modum operandi, passiva recipiendi, infinita modum infinitè operandi, finita finitè. &c. Atq; hæc de potentiâ universim dixisse sufficiat.

Auctarium.

Amorem ex aspectu nasci vulgatum illud Græcorum docet, ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν. Cui Latini consentiunt dicendo: Ignoti nulla cupido. Pastor Virgilianus ecl. 8. exclamat; Vt vidi, ut perij: Vt me malus abstulit error! similia ex Homero & Theocrito vide ap. Taubm. in h. l. Quid ergò de amore habendum Catulli Messalini, qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ? ap. Juvenal. sat: 4. An species furoris & distorti appetitus iste amor fuerit, quomodo ut monstrum eum persequitur Juuen. c. l. Ita Antiochus Stratonices novercæ amore capiebatur. Camer. C. 1. c. 4. Faustina cum Aurelij Imperat: conjux esset, pugilem amavit. Pet. Mess. l. 3. mem. c. 13. 14. Quos inordinatos motus gentiles Pasiphaës fabulâ velasse videntur ap. Comit. l. 6. myth: c. 5. Quid de amore Dn. Jesu habendum, quem nunquam vidimus, & tamen amamus? 1. Pet: 1. v. 8. An hic amor longè superioris speciei â naturali & civili, spiritualis nempe, peculiari motione â Sp. S. conciliatus, & ad finem prorsus spiritualem destinatus? An amor possit ferri in non visa quidem, videnda tamen? Ortus vel ex intuitu reali, vel cogitato & phantasiâ repræsentato? Ita ex intellectione Dei, ut summi boni, nascitur amor D E I. Scal. ex. 307. f. 26. Ita lectis elegantibus Authorum scriptis amare incipimus non visos. Vnde Criticorum quidam mentiri ait eos, qui in ignotis amorem esse negent. Ita amor eorum esse queat, quæ vel visu, vel famâ, vel factis habeamus cognita. An ex aspectu nasci amorem de Venerio tantùm sit pronuntiatum? At non sunt in eodem theatro falsi & fœdi amores cum vero, puro, divino amore confundendi, ut rectè Gardano objicit Scalig. ex. 301. f. 1.